


RICARDUS TREAT BRUÈRE

OPUSCULA quae hunc fasciculum ephemeridos nostrae conficiunt in honorem Ricardi Treat Bruère ab amicis, collegis, eis quos docuit scripta sunt. Honoratur igitur vir doctissimus qui per tres et viginti annos hanc ephemerida edendam curavit, qui, dum hoc munere summa cum cura fungebatur, numquam destitit officia professoris assidue exsequi, diligenter discipulos erudire et dissertationes eorum moderari, sua studia strenue exercere. Medio autem anno 1974 ephemerida novo tradidit et delegavit editori ut unum saltem annum ab editoris anxietatibus liberum ageret antequam scholas habere desineret. Has scholas anno 1937 habere coepit in nostra universitate studiorum Chicaginensi et continuas hoc loco, ubi per omnes praeceptoris professorisque gradus progressus est, habuit nisi annis 1942–46 cum pro salute patriae bellum fortiter gessit.

Priores aetatis suae annos longe ab urbe Chicagine egit. Novi enim Eboraci e familia spectatissima ortus, bonis artibus litterisque domi et in ludis (primum illa in urbe, postea in Academia Philippsiana Exoniae sita) instructus, anno 1924 in Collegio Harvardiano studiis incumbere coepit. Ibi, cum multis rebus tum praecipue linguis Graecae Latinaeque opera data, post quadriennium ad gradum baccalaurei provectus est. Quo facto, aliquot annos in orbe olim Romano et cetera Europa degit, ubi et multos sermones hodiernos didicit et eos quos iam cognoverat excoluit. Nec cessavit, volventibus annis, alias addiscere linguas, qua re permultas callet. Quod ad linguas Romanicas attinet, ut de Francogallica, Italica, Hispanica taceam, Lusitane Daciceque scit. Peritissimus est sermonis Russici et scit Polonice. Hodierni Graecorum sermonis est eruditissimus et in Universitate Harvardiana antiquae Indorum linguae studuit.

Illam in universitate, posteaquam ab itineribus Europaeis in Americam revertit, studia sua repetierat. Inter professores Harvardianos magni aestimabat Eduardum Kennard Rand, quo moderante dissertationem de Ovidii *Metamorphoseon* aliquot codicibus recensendis Latine conscripsit, et Iosue Whatmough, atque hi illum. Amicitia quam, dum linguis comparandis et historiae sermonis Latini studet, cum viro docto Whatmough contraxit, omnes in annos mansit et crevit. Diu censuras librorum, quas complures in hac ephemeride Whatmough protulit, Ricardus, editor factus, maxima cum cura ac pietate edidit; et saepe amicissime inter se certare videbantur uter plures in quovis fasciculo proferre posset.

Collega noster anno 1936 non solum doctor philosophiae in Universitate Harvardiana factus sed etiam praemio quo studia in Graecia prosequeretur munitus annum proximum in ea terra egit, ubi, dum Scholam Americanam Athenis frequentat, feminam Americanam lepidam, cultam, doctam, nomine Carolam Whitcomb cognovit, quam anno 1937 exeunte in matrimonium duxit. Felices ambo convixerunt, feliciter et coniuncte laboraverunt, nam Carola diu erat adiutrix in hac ephemeride edenda dum anno 1970, morte abrepta, omnes qui eam cognoverant summo affecit dolore.



Photograph by Milt Leidner

RICHARD TREAT BRUÈRE

Quot et quantis rebus qualem in indagationibus suis amicus noster operam navaverit videbis, lector benevole, si indicem eius scriptorum perlustrabis qui hoc in fasciculo invenitur. Has inter res eminent litterae Latinae omnium aetatum; omnis enim Latinitatis expertissimus est noster, quam persecutus est a scriptoribus antiquissimis usque ad saecula recentissima. Poetas praecipue coluit, inter poetas praecipue epicos, inter epicos praecipue Lucanum. Accuratissime ponderavit quo modo et quantum Lucanus Vergilium imitatus sit etiamsi multas res generis epici proprias aspernatus est et quam rationem loci Vergiliani habeant in *Bello civili*. De termino ad quem Lucanus, si diutius vixisset, poema suum perduxisset elegans composuit opusculum. Et in scriptis et in scholis suis *Bellum civile* semper subtiliter exposuit, exemplo suo discipulos incitavit ut dissertationes de illo opere scriberent. Una igitur demonstravit qua ratione Lucanus tragoedias Senecae imitatus sit, alius quo modo vestigia Ovidii sit secutus. Cum Lucanum tum multos et alios aetatis argenteae quae dicitur poetas collega noster commentatus est, inter quos et Silium Italicum. Hunc concedit, ut multi disseruerunt, re vera Maronianum fuisse et plurima e Vergilio hausisse; luce autem clarius ostendit, id quod viri docti minus saepe neque umquam tanta cum perspicuitate et tanta abundantia exemplorum exposuerunt, multum colorem Ovidianum in *Punicis* lucere.

Scescentis poetis studuit qui posterius floruerunt. Horum artem et ingenium scrutatus eleganter demonstravit quo pacto vetera et nova commiscuerint, ad quos usus novos antiquas res, voces, figuras accommodaverint. Quod ad Claudianum, verbi causa, pertinet, ostendit quam saepe et quo modo ille Lucani vestigia in invectivis suis secutus sit. E discipulis eius unus dissertationem conscripsit de imitatione poetarum classicorum quae in Iosephi Iscani *Bello Troiano* invenitur, alius in dissertatione fontes gentiles tractavit e quibus Andreas Ramsaeus in *Poematis sacris* hausit. Ut Arturus Johnston de his carminibus Ramsaei scripsit,

Hic iuga Parnassi coeunt cum rupe Sionis,
Mixtaque Iordani Castalis unda fluit;

haec est res quam collega noster e multis et aliis carminibus patefecit, ut e Vidae *Christiade*. Et paene incredibile est quam multa poemata saeculis Christianis aut de rebus Biblicis aut de aliis scripta cognoverit, poemata et notiora et obscuriora, ut Petrarchae *Africam*, Maphaei Vegii *Aeneidos* supplementum, Marci Maruli *Davidiada*, Basinii Parmensis *Hesperida*, Iacobi Masenii *Sarcotida*.

Poetarum studium cum studio eorum qui oratione soluta scripserunt felicissime noster coniunxit. Itaque in opusculo, omnibus locis ubi Plinius maior Vergilium aut citat aut laudare videtur aut refellit et castigat ponderatis, luculenter demonstravit quam opinionem de poeta illustri scriptor *Naturalis historiae* reapse haberet, qua de causa eum non omnino probaret; exposuit quidem Plinium saepenumero maligno animo in Vergilium invectum esse et famae eius invidisse. His doctis et laboriosis paginis ostendit non solum quam bene Plinium Vergiliumque et scriptores quos hi secuti sunt

cognoverit sed etiam quantum de rebus naturalibus sciat, de vitibus, de vinis, de arboribus. Et re vera amicus noster videtur alter Plinius maior esse, id enim acre ingenium et id incredibile studium in eo videmus quae Plinius minor asseverat se in avunculo suo invenisse. In multas quidem rerum naturae partes, ut res herbarias, molares, medicinales, coquinarias inquisivit; ac scriptores cum antiquos tum recentiores meditatus est qui de his rebus disputaverunt. Commentationem igitur medicam saeculo proximo a medicinae doctore Kilian Latine scriptam et *De sphondylolisthesi* nominatam Anglice reddidit. Quin etiam argumenta viri docti Moritz facile sequitur seu disputat ille de generibus farris farinaeque quae veteres habebant seu explicat quo modo molae versatiles et trusatiles inter se distulerint.

Iam vidisti, lector benevole, quam magnum numerum rerum magni momenti noster scripserit, et forsitan arbitreris eum illa de causa nihil temporis ad alias res faciendas habuisse. Fieri potest ut non habuerit, sed invenit; ac multas et alias egit res. Nam per tres annos (1950–53) fuit praeses professorum litterarum Latinarum in universitate nostra, per tria triennia (1960–69) praeses professorum utriusque linguae, per quinque annos (1941–42, 1946–50) decanus studiosis litterarum humaniorum praepositus. Ac per tres et viginti annos (1951–74), ut supra diximus, hanc ephemerida curavit edendam.

Quo loco Ricardus, stipendia emeritus, sedem suam fixurus sit nescimus. Fortasse in urbe Madison Wisconsinensium considet, ubi aedes habet uxor, femina omni doctrina et humanitate ornata, nomine Catharina Ioanna Becker, quam anno 1972 in matrimonium duxit. Fortasse ambo multa itinera facient, praesertim in Europa, ubi duas aestates proximas egerunt. Sed speramus eos nec diu nec longe ab urbe nostra afuturos esse ut eos saepe visere possimus, cum eis colloqui, eorum affabilitate et comitate frui. Ubicumque tamen otium novum agent, scimus id litteris studiisque profuturum (nam una est bibliothecae praefecta, alter professor) atque eis exoptamus omnia felicia, fausta, bona.

E. L. BASSETT

Mense Iunio 1975